



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Sect. XI. Quid maximè à Christi amore avocet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

mea est. Hinc igitur matri jurè licebit dicere: Christus meus est filius. Iesv bone, quanta dignitas est nostra? si causa nostra non ipsi turpiter indormiamus.

Porrò caelestis Pater non tantum filium, sed & orbè totum, die Natali Filii, his verbis allocutus censeri potest: Hic est Filius meus charissimus, audite illum.

Omnes imò Angelì cum Gabriele Archangelo ad Domini Natalem concinnasse censendi: Hic ille, qui modò in praesepi jacet Infantulus, erit magnus, & filius Altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus sedè David patris eius, & regnabit in domo Iacob in aeternum, & regni eius non erit finis. Interim & ingratus mundus vociferatur: Nonne hic est faber, filius Mariae, frater Iacobi & Ioseph, & Iudae, & Simonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? & scandalizabatur in illo. A Nazareth potest aliquid boni esse? Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Hæc ingratorum hominum gratulationes, voluti sunt applausus. Qui Christum odisse horret, voluntati divinae ita se attemperet in omnibus, ut pro se quisque ausit dicere: Mihi amantissime Iesv, tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi. Bonus profectò filius, si bonam reperit matrem.

§. X. Christi Nascens & moriens; exordii vite ac finis comparatio.

Nascitur Christus infans & mutus; proximus mortui pariter obmutescit, nec pro infante tantum, sed & stulto habetur. Coram Matre nudus nascitur; coram omnibus in cruce nudus moritur. Nascitur non reperit locum in diversorio; moriturus non habuit sepulchrum nisi commodatum in vicino orto. Nascens pro cubilibus praesepi, moriens pro lectulo habuit crucem. Nascens saltem stabulò habitationi, saltem stramen fœcesum habuit arcendo frigori; at verò moriens nec pulvillum capiti, nec lodiculam vulnerato corpori invenit, Nascenti aqua calida instruentis thermis, morienti defuit frigida restinguenda siti. Natus à Matre infantium involucri; moriturus ab Herode veste albà, mortuus à Iosepho findone mundà involutus est.

Si tempus spectemus, nascitur Christus sub medià noctem, nocte in diem versà; moritur sub medium diem, die in noctem mutata. Natus panniculis involvitur, fasciis ligatur; moriturus fimbriis stringitur, & clavis figitur. Natus lacrymas profudit, nec illas moriturus tenuit, sed sanguine purpuratus auxit. Natus lac Virginis bibit: moriturus fel & acetum gustavit. Pœtor stabuli nascentem, Calvarie graveolentia morientem afflixit. Inter duas pecudes vitam exorsus est; inter latrones duos eandem finit. In praesepi contemptus, pauper, parvulus; in cruce nec homo quidem, sed vermis & opprobrium hominum, & abjectio plebis est habitus. Nascitur sub Augusti, moritur sub Pilati & Tiberii imperio.

Nascentem fugiens stella praedicat, morientem sol sese abdens & fugiens deplorat. Natus ab Angelis laudatur; moriturus ab omni hominum genere illusionibus & maledictis violatur. Nato Reges ab oriente munera ferunt; moriturum carnifices ut falsum regem spinis incingunt, ludicro scepro insigniunt, omnibus ignominias illudunt. O mi amantissime Deus, qualis hic in vitam ingressus, qualis exitus, quale hoc exordium, qualis epilogus? Cresce, Puer suavissime, jam exacuitur culter, quo circumcidaris. Proxima est in Aegyptum fuga, vicina solitudines horridae, prolixa Iejunia, tentationes feriae, probra & maledicta creberima, infestationes atrocissimae, itinera perpetua, labores infiniti, dolores incredendi, verbera sine numero, vulnera sine malagmate ac fomento; jam vepres & clavi, jam crux & lancea in te parantur. Nunc calicem amarissimum primoribus labellis libas; erit cum ad

A fecestotum exhausties. Nunc mansueti te cingunt animalia, erit cum canes multi & tauri pingues te circumdabunt. Nunc caelestes greges cantant: Gloria in altissimis Deo; erit cum ferociens turba clamabit, Tolle, tolle, crucifige eum. Nunc lacrymas stillas oculis; erit cum sanguinem toto fundes corpore. Atq; hæc omnia salutis nostrae pateris. Nos aegrotamus, tu bibis pharmacum; nos fures sumus, tu subis patibulum. Infinitè profus benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei. Generationem ejus qui enarrabit: Felix culpa, quæ talem meruit habere redemptorem.

§. XI. Quid maxime à Christi amore avocet.

Vericus abbas, divi Bernardi discipulus, Pueri Bethlehemi natum velut digito monstrans. Ecce, ait, offerat tibi Iesvs, curre obvius manibus, extende brachia, expande sinus. Devotionem tuam tam affectus probet quam actus. Filium, qui tibi natus est, spe magna venerare, suscipere, de, amplexare charitate.

Hic ille ipse est, quem tot oracula totque vaticinia cecinerunt ad futurum. Enim verò iis, quorum suo loco facta est mentio, adnumeramus & istud, quod Theologiae Sol Thomas Aquinas posterorù memoriae consignavit his ipsis verbis, quæ à tali auctore scripta non censui mutanda: Invenitur in hisloriis, quod tempore Constantini Augusti & Helene matris eius inventum fuit quoddam vaticinium sepulchrum, in quo jacebat homo, auream laminam habens in pectore, in qua scriptum est: Christus nascetur ex Virgine; & ego credo in eum. O Sol sub Helene & Constantini temporibus iterum me videbis.

Transeamus igitur cum pastoribus, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.

Annæo teste, est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficiat. Est profectò plurimum, quod è silenti hoc Verbo, caelesti Pueri proficiamus. Quidquid in oculos incurret, ad meliorem vitam erudit. Hic omnis fastus, ambitio, luxuria & luxus dampnantur. Omnia ista, quæ Christi stabulò & praesepi oculis atq; auribus nostris ingerunt, attentissime commeditanda sunt, & plenum pravis cupiditatibus exhaustiendum pectus. Ante omnia, omnis è pectore libido eliminanda. Non amat castissimum Virginis Filium, quisquis non odit, & arcet cæcum Veneris puerum. Vbi libido, quantumvis abdit, ibi scelerum lerna, & omnis immunditiæ seminarium. Atq; hoc est, quod plurimum ab amore Christi mentem abstrahit. Non simul habitant, nec in unâ sede morantur Christus & diabolus, Rationis & carnis appetitio. Indulgere libidini, vel in animo solum latenti, omnium malorù est initium. Rationem omnem excludit, qui libidini se permittit. O homo, actus est de te, si pestem hanc animo receperis. Valedit celo, & morere, actum est. Nulli vitio non verecundum est initium, sed ob hoc latius funditur, & à turpi fine proditur. Non facile continebis, ut desinat, si incipere permiseris. Impuris igitur cogitationibus obfiste, quia facilius, ut dixi, non admittuntur, quam extruduntur admittæ. Non vino infirmum animum committamus, non formæ, non illecebris, non rebus ullis blandè trahentibus. Recedamus à lubrico, & omnè libidinis vel umbram fugiamus. Ejice hanc sciam è toto pectore, aut nec in tuo quidè diversorio locum caelestis Pueri inveniet. Impurus amor initio mella stillat, dum illaqueet; denique fel ingerit morissimum. Fuge blandum impostorem.

Fallit, & ignicum derivat in ossa venenum.

Cave vulnus, quod dolore curandum est; si tamen curationem recipiat. Libidinis initium continebis, si exitum cogitaveris.

Handwritten notes in the right margin, including 'LUCI' and other illegible text.

